



**Judicium Grave à Domo Dei, Omnibus Templorum,
Processionum, Et Qvorumvis Sacrorum, Dum Irreverenter
& Impie Divinis assistunt, Dehonestatoribus formidandum**

Pragae, 1670

Caput XI. Reliqua Templorum, & sacrorum dehonestamenta.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54878](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54878)

videmus Sancto Ivano in Boëmia nostra sacrum, in cuius mirabili antro hodièque intra durissimam petram geminæ visuntur fossulæ, ad sacrum poplitum contactum cessilis saxi indices. De S. Gorgonia sorore sua germana, narrat S. Gregor. Nazian. orat. 10. *Cum ad Divinum Altare, exoratura morbo, qui gravabatur, lehamen accurrisset, non est causata agnitionem, ut sedens preces funderet, sed ad Altare procumbens, sanitatem exoravit.* Absit itaque ut precantes in Templo, vel Sacro assistentes, indecorum aliquem corporis situm usurpemus, sed potius ita & animo, & corpore componamur, ut qui nos in religiosis illis officiis obeundis conspexerint, animadvertant à nobis intelligi, & considerari, coram quo constituti simus.

CAPUT XI.

Reliqua Templorum, & Sacrorum debonestamenta.

Quàm graviter cum Hæreticis hallucinantur spirituales nimium quidam Catholici, dum toti merus Spiritus videri volunt, & ideo externa devotionis & Religionis adjumenta, veluti Phariseorum sordes contemnunt, vel inde patet: quod non aliâ

re magis perfecta mentis in Deum elevatio
promoveatur, quàm reverenti hominis exte-
rioris compositione, devoto corporis situ,
manuum decenti elevatione, oculorū humi-
li depressione, & ab omni curiositate avoca-
tione. Videmus (scilicet) & experimur, in-
gentem Spiritūs fervorem, & devotionem in
iis, qui his contemptis, oculos liberè totā
Ecclesiā vagari sinunt, manus incompositas
huc illuc jactitant, cubito utroque in scam-
num, velut propinariæ mensæ incumbunt,
dorsum Altari, & faciem ad portarum introi-
tus obvertunt, & corpus undique sive colu-
mnæ, sive scamno, & podio innixi, nè scilicet
oratione defatigatum corruat, fulcire sata-
gunt. Præclare in hanc rem dixit S. August.
lib. de cura pro mortuis c. 5. *Quamvis invi-*
sibilis hominis voluntas, & cordis intentio Deo
nota sit, nec ille indigeat his indicis, ut huma-
nus ei pandatur animus; tamen his magis se-
ipsum homo excitat adorandum, gemendumq;
humilius atq; ferventiùs. Et nescio quomodo,
cùm hi motus corporis fieri nisi motu animi
precedente non possint, eisdem tamen exteri-
us rursus visibiliter factis, ille interior invis-
ibilis, qui eos fecit, augetur, ac per hoc cordis
affectus, qui ut fierent ista pracescit, per ea que
facta sunt crescit. Et verò si collectam oratio-
nem nostram, ut Deo placeat, esse necessum
est,

est, quomodo hæc sicut incensum in conspectu Domini imperturbata dirigetur, juxta Psal. 140 quæ per sensus externos, minimè cum anima in idem conspirantes, fuerit distracta? Certè vix eam à Deo exauditum iri, indicavit eodem Psalmo David, quando precatus ad Dominum: *Domine clamaui ad te, exaudi me, intende voci meæ cum clamaui ad te, continuò veluti alas religioso huic in cælum clamori ab externa manuum, & oris compositione accedere ostensurus, Elevatio, inquit, manuum mearum sacrificium vespertinum, pone Domine custodiam ori meo, Confessum circumstantia labijs meis*: ita nimirum demum fiet, ut dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. Ut adeò non vanè totam efficaciam precum, & orationis Christi Domini, reverentiæ huic adscripserit Apostolus Hebr. 5. *Ex auditus est*, inquit, pro sua reverentia. Ita gratam videlicet Numen habet exteriorè, adjunctam internæ, reverentiam, quam qui subtrahit, non reddit juxta Domini Præceptum Matth. 23. *quæ sunt Dei Deo*. Neque proinde eam laudem, quam idem viduæ Marci 12. impertire dignatus est, merebitur; *Sedens siquidem IESUS contra gazophilacium in Templo, aspiciebat quomodo turba jactaret as in gazophilacium. Cum venisset autem vidua una pauper, misit duo mi-*

nuta

nuta. Et convocans discipulos suos ait illis: Amen dico vobis, quoniam vidua hæc pauper plus omnibus misit. Omnes enim ex eo quod abundabat illis miserant, hæc verò de penuria sua omnia quæ habuit misit. Omnia ergo in Templo, quæ habes, in thesaurum Dei mittenda, & prodigenda sunt, nec sufficit si minutum unum, negato altero, impendas. Corpus & Animam, duo minuta, à Deo tibi misericorditer impensa habes, quæ pro honore Dei simul expendenda sunt, si placere illi in Templo, & quod debes, integrum reddere cupis.

Huc respicientes in primitiva Ecclesia fideles, ad ipsa Templi limina affusi procumbentes, figebant oscula, vel contacto manibus liminis pavimento (prout nonnulli vestimentis Sacerdotis ab altari recedentis modò faciunt) admovebant manum ori, in signum reverentiæ sacro loco exhibitæ, & venerationis suæ, quam afferrent in Dei Domum. Nonne videtis, ait S. Chrysost. hom. 30. in 2. Corinth. quot etiam Vestibula Templi hujus osculantur? illi quidem cervicem flectentes, alij autem manu contingentes, & ori manum admovebantes? sed proh dolor! quantum ab hac veteri Religione nostra recessit impietas! Quàm dispar modò in Templum ingredientium habitus! in cujus vestibulo primò omni-

um discriminando trini pecten, qui pro li-
 bello precatorio in sacco defertur, eximitur;
 diceret pro eum ad salutandam & conveni-
 endam amasiam præparari. Pro sacrorum
 liminum osculo, in ipso mox aditu, illud ad-
 meretriculam subinde aliquam, oculis & nu-
 tibus transmittitur: & cum præsentibus a-
 micis omnibus salutationis officium, tot in
 omnem partem Templi inclinationibus, quot
 ferè passibus exhibeatur, sola Majestas Dei
 in Domo propria sceleratè contemnitur. In-
 trantibus Templum Pythagoras agebat, teste Se-
 necæ Epist. 94. *Deorumq; simulachra cernen-
 tibus alium, animum fieri.* Quod ut verum
 fuerit apud Ethnicos, apud multos certè
 hodie, qui præsertim magis Politici videri
 volunt, minimè verum est Christianos. Nisi
 fortè in sensum contrarium, quòd animus eis
 fiat intrantibus Templum, præquam foris
 dissipatior, & habitus totius corporis dissolu-
 tior. Ita nihil reverentiæ aut pietatis ullo ge-
 stu præferunt. Si enim, quòd verissimè ce-
 cinit Poëta: *oculi sunt in amore duces*: quo-
 rum amorem eorum ducibus oculis dirigi?
 quorum vergere corda judicabimus? quod
 quis amat, idem libenter etiam intuetur.
 Deumne igitur ab eis amari, & ejus amandi
 causâ Templum intrari ego credam, qui o-
 culis cum toto Templo vagentur, nunquam
 tamen

tamen illis, nisi fortè per errorem aut casu, in Deum, in Altare ejus, in piam imaginem incidunt? ità enim, pertinaciter oculos suos statuerunt declinare in terram Psal. 16. & res à Deo alienas, ut verissimè ab eis servari videas illud Ezechiel 44. *pones cor tuum in vultu Templi, per omnes exitus sanctuarij.* Ità nihil in Templo geri, quod ij non observent, nemo in illud ingredi, quem ipsi non lustrent, nemo in illo versari potest, quem à planta ad verticem non examinent, & discutiant. In quos proinde genuinè quadrat illa apud Jobum c. 10 Domini querela. *Inquilini Domus mea sicut alienum habuerunt me, & quasi peregrinus fui in oculis eorum.*

Usquequo contemptores Numinis illudere ei non cessatis? parùmne vobis id esse videtur, quod Dominus *abominationes maximas* vocat & *peffimas*? *Fili hominis*, loquitur Deus ad Ezechiel c. 8. *putasne vides tu quid isti faciunt, abominationes magnas? & adhuc conversus videbis abominationes majores his.* Et *introduxit me in Atrium Domus Domini interioris.* Et ecce in ostio Templi Domini, inter Vestibulum & Altare viri dorsa habentes contra Templum Domini & facies ad Orientem. Et numquid tales sinè blasphemia, & Dei irrisione postulabunt: *Respice ad orationem servi tui Domine Deus meus?* 3. Reg. 8. Quà fronte
F
pre-

precabitur: *Averte faciem tuam à peccatis meis.* Pl. 50. à quibus ipse nec in Templo oculos avertere sustinet? Frustrà etiam, nè à facie Dei projiciatur, orabit, qui se voluntariè tam procul ab ea, per terrena in Domino orationis peregrinatus, elongat! *Dorsum* & non faciem vicissim ostendam eis Jerem. 18. Ergo & ego faciam, inquit Dominus eodem cap. Ezech. *Non parceret oculus meus, nec misererebor, & cum clamaverint ad aures meas voce magnà, non exaudiam eos.* Vultis faciem ejus ad vos converti, & oculos in preces vestras intendere? *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos,* ait Dominus Exercituum Zach. 1. *sint oculi tui semper ad Dominum,* Pl. 24. & ipse firmabit super te oculos (nos Pl. 31. Certè nec filius Dei, quamvis sciret semper se à Patre exaudiri, aliter tamen precari consuevit, quàm oculis ad eum, quem exorabat, conversis, & ab omnibus creaturis elevatis. Sic Lazarum suscitaturus, *elevatis IESUS* sursum oculis dixit; *Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me, ego autem sciebam, quia semper me audis.* Joan. 11. similiter & ad instituendam SS. Eucharistiam Oratione se disponens, *elevatis oculis in Cælum ad Deum Patrem suum omnipotentem, gratias egit.* Eundem precandi morem Boni omnes servare solent; qualem ante annos pauculos, ab

nostrum Mogoris Regno, vidimus à Patribus Societatis JESU Pragam adductum Christianum, pro more & fervore novellæ illius Ecclesiæ, inusto fronti S. Crucis stigmate conspicuum. Rogatus hic à nobis, solâ curiositate ductis, orationem Dominicam Mogoricâ linguâ ut ediceret; ad eximiam continuò devotionem animum, & vultum componens, oculis & manibus devotissimè in Cœlum elevatis, eam piissimè, tanquam si præsentem Deum seriosissimè precaretur, decurrit: Maximo è contra scandalo se affici ostendens, quòd cum prior idem linguâ germanicâ à quodam astantium fieri petiisset, obiter & ludierè, absque ulla reverentiæ nota factum vidisset. Et revera singulari admiratione res digna est, tantam hoc in genere reperiri in rudibus adhuc illis Neophytis pietatem, quæ apud nos in fide Christi veteranos penitus extincta videri potest.

P. Adamus Schirmbeck Societatis JESU, in Messe Paraquariensi ad annum Domini 1640. recenset de Sene, centum annos vivendo multum supergresso. Incidit in hunc, (scribit ipse) casu quopiam è nostris PP. unus & per totos 80. annos, ex quo Sacris Christianis initiatus est, omni copiâ confitendi, & propè materiâ caruisse deprehendit. Vitam enim ità ad Leges Christiani ho-

minis, suus ipse post Deum Magister composuit, ut à Patre qui eum confidentem tunc audiebat, nullius gravioris culpæ reus inveniretur. Facturus ergo periculum Pater, num tantum Divinarum peritiâ rerum, quantum mentis integritate polleret, rogavit, ecquid de Deo sentiret? cui senex promptè, unum se Numen, cujus nutu hic orbis regatur, agnoscere ac venerari affirmabat. Rogatus deinde quâ precandi formulâ, illud ipsum Numen invocare consuêssent, agebat; se non aliud orandi argumentum, quam ipsum Dei, quem coleret, Nomen habere; quod proinde erectis ad cœlum manibus precatus, per diem sæpius ingeminaret: Deus! Deus! Extra hanc vocem nullo se alio verbo aut ritu, Deum per omnem vitam compellâsse. Pater in tanta ignorantia tantam sapientiam admiratus, cum optaret ipse coram inusitata preceptionis specimen experiri, eum ad iterandas de more preces invitabat: Qui mox admonenti obsecutus, manus & se totum ad pi-um opus componit. Illas igitur in altum junctim elatas, oculis etiam ad cœlum secutus, tam tenero animi sensu, quem totius oris, velut Divina degustantis, hilaritate prodebat, duarum syllabarum disertissimam orationem instituit, SS. nomen, Deus! Deus! Deus! Seraphico quodam fervore pronunciant

cians, ut Pater præ gaudio lachrymarum non amplius potens, seipsum vix caperet, factus, omnes molestias, quas alienæ salutis studio necesse est Christianas operas in eo orbis recessu devorare, hoc melle sibi absterfas. Quid autem nos Europæi? inter Christi sacra nati, & à cunis educati? in tanta Magistrorum abundantia? inter tot precandi instructiones, monita, & adhortationes?

Sanctus Propheta David Ps. 122. de oculorum habitu orationis tempore servando præcepta dans, eos immobiles, & ad Cælum irrevocabiler in Deum unicè conversos, proprio exemplo esse vult. *Ad te, inquit, levavi oculos meos qui habitas in Cælis. Ecce sicut oculi servorum in manibus Dominorum suorum, & sicut oculi Ancilla in manibus Domina sua, nihil videlicet aliud attendentes, aut observantes, quàm nutum illius, ità oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri. Quæ pertinax oculorum ad Deum obversio, quòd machinarum vicem quandam cælo vim facientium obtineat, innuit S. Martinus Episcopus, qui sub animæ exitum indictum ab Oratione spiritum non relaxans, prout in Divino officio de eo canit Ecclesia, cum oculos in Cælum haberet intentos, rogatus, ut nè eâ re violentiam sibi inferret, respondit: *Sinite me Cælum aspice**

re, ut suo jam itinere, quasi factâ per illumo-
culorum insultum viâ iturus ad Dominum
Spiritus dirigatur. Quod si criminum tibi
consciis, erecto vultu Deum & cœlum tueri
non præsumas, quid convenientius, quam
ut culpam agnoscens, oculos in terram, tan-
quam vexilla tua, in quibus insignia animi
omnia leguntur, Deo submittas, & veniam
ac gratiam petens, abjicias? Fecit id felici-
ter Publicanus, qui neque propè accedere
ausus, à longe stans, solebat nec oculos ad cœlum
levare, & idcirco obtentâ misericordiâ de-
scendit justificatus in domum suam Luc. 18.
cùm interim Phariseus stans, dum liberè
oculos hinc inde vagari finit, infelicitè in
Publicanum hunc incidens, eundemque præ
se contemnens, inimicus Dei abs Templo
discessit. Benè igitur monet S. Chrysost.
hom. 19. in Matth. super illud: *Cùm Oratis,*
nolite fieri sicut Hypocrita, qui amant stantes
orare; omnino inquit, convenienter ac proprie
istos Hypocritas vocat, qui Deum scilicet se o-
rare simulantes mortalium oculis ingeruntur,
non jam orantium, sed ridiculorum prorsus ho-
minum gerendo personam. Qui enim ad suppli-
candum paratur, omnibus relictis illum intue-
tur unum; qui habet donandi quod petitur po-
testatem. Si verò istum relinquens, per diver-
sa errabundus vagetur, & ubiq; oculos men-
tem.

remq; circumferas, post longissimas preces vacuis profecto manibus abscedes, hac quippe ipso voluisti. Hoc ponderans S. Ephrem, liberum in Eucharistiam intuitum, refert ad impudentiam. Complectamur mente, ait & consideremus Charissimi eos, qui coram Rege constituti sunt terreno, thronoq; mortali, ac corruptibili ministrant, quomodo cum omni scientia ac timore Regi suo assistant, nam & vos multo magis utpotè fideles, oportet coram Rege cælesti consistere cum omni gravitate, & decore; propterea non existimo bonum esse, impudenti oculo contemplari proposita Mytheria Corporis, & Sanguinis Domini nostri IESU Christi, cuius fidem nobis facit Divina scriptura dicens: Tremefactus autem Moyses non audebat aspicere.

Est & alius precantium in Templo mos perabsurdus, quod sive sedendo, sive flexendo, ita distortè membra collocant, ut pedibus protensis, resupinato in subsellium dorso, quasi in lectulis suis, ut loquitur S. August. hom. 26. ita jacere volunt, aut è contracubitis toto pondere innixi, perinde quasi ad meridianum somnum captandum venissent? indecorè, nè dicam rusticè comparent. Quàm alieni sunt tales à piorum illo Christianorum more, de quibus S. Petrus Damiani opusc. 39. Vidimus non modò sacri, sed &

secularis ordinis viros, qui sic inter qualibet Ecclesiastica synaxis officia, statim suis viribus sunt contenti, ut nec podio, nec adjacenti prorsus ulli materia dignentur inniti. Qui nimirum quò laboriosius in conspectu superna Majestatis se conspicientis assistunt, suaviorem dulcedinem intimæ quietis acquirunt: quantoq; difficilius sui corporis gravedinem tolerant, tanto copiosius eos ad Deum meritum levat. In quam rem affert exemplum Varronis Consulis Romani, qui sicut Eutropij testatur historia, quoniam apud Cannas, dum adversus Annibalem confugeret, pugnam perdidit, nunquam postmodum usq; ad vitæ suæ terminum, recubans cibum sumpsit. Quod si faciunt hoc Ethnicæ, ut fama sua nomen extendant, quid agendum est Christianis, ut in cælesti sibi gloria sedes acquirant? Hanc corporis compositionem, quàm meritò à nobis exigit Dei presentis Majestas, expressit S. Chrysost. de Virg. c. 32. Si qui Reges adeunt, inquit, & quid Reges dico? imò verò infimos Magistratus, & servi Heros alloquentes, seu id agant injuriâ ab alijs affecti, seu beneficium ipsi postulantes, seu iram in se excitatam sopire preparantes, & oculis, & mente omni ad eos conversâ ita colloquium habent; sin minimum dormitent, non solum ea pro quibus supplicabant non perficiunt, sed malo etiam accepto discedunt. Si ho-

minum furorē lenire volentes tantopere laborant, quid nobis miseris fiet, qui omnium Principem Deum adeo negligenter adimus, maxime cum longē majori sumus ira obnoxij? neque enim herum servus, aut Regem subditus tam graviter irritat, atque nos Deum indies.

Et profectō non video quomodo cum Propheta adoreret ad Templum Sanctum in timore Dei Ps. 5. qui rogaturus ea quæ pacis sunt, absurdā & inurbanā agendi ratione magis Deum abalienat. Si enim Timor Dei est, quo homo à considerata Dei altitudine, præ qua se despicit, in propriam parvitatem fugit & resilit; & adjuncto erga illam actu demissionis, veretur propè accedere, retrudens se in suum nihilum: non video quomodo hunc timorem habeat, qui tam inconcinnus & incompositus ad conspectum ejus se offerre non verecundatur. Certè S. Nonna Gregorij Naz: Mater, quia perfectè excessum hunc Divinæ magnitudinis, præ parvitate, ac propè nullitate nostra penetraverat, idcirco teste eodem Orat. 18. ità Templum subibat, nunquam intrā spueret, nunquam Altari tergum obverteret, nunquam in eo silentium solveret, omnemque adeo sessionem, loquacitatis illecebram devideret. Cui ipsius in Deum Religioni & observantiæ, meritò ipse conversionem Parentis sui ab hæresi ibidem ad-

scribit S. Franciscus Seraphicus, referente S. Bonaventura Vitæ cap. 10. tamen, oculorum, stomachi, splenis, ac hepatis ægitudine laborabat, tamen inter orandum semper erectus, nec parieti, vel muro inhærens, pendebat Deo Sacrificium laudis. S. Petrus Damiani, ut scribit Bollandus nunquam visus est in Templo podio vel subsellio corpus acclinare; quod cum S. Margaretha ex tertio S. Francisci Ordine, pœnitens cognominata, aliquando transgrederetur, ab Angelo monita est, ne scamno innixa, sed elevatis in Cælum manibus sacro interesset. Quid? quod S. Hadeloga Virgo Pipini Regis Francorum Filia ut narrant ejus acta apud Bollandum, cum Monialis quæpiam, in Templo immodestiores se exhiberet, ipsa è sepulchro prodiens alapam ei infregit? S. Macarius Alexandrinus, Teste Palladio, per totos à suscepto baptismo sexaginta annos nunquam intra Templum sputum in terram eiecit, taceo ut inconditè, & ad aliorum etiam perturbationem, ac nauseam, tussiendo excrearet. Et Magister Regulæ, exscriptus à S. Benedictio Anianensi, in Concordia Regularum, vetat orantem, si ingruat spuendi, vel nasum detergendi necessitas, facere id Altare versis, directè ante se, sed aversum post tergum: *Post se inquit, spumam projiciat,*
pro-

propter Angelos in antestantes, demonstrante
Propheta ac dicente: In Conspectu Angelorum
psallam tibi: Ergo vides, quia coram Angelis
ostendimur orare & plorare. Quod ipsum etiam
domi observare, ut videlicet nunquam
partem illam versus, ubi proximè Templum
aliquod aut Vener: Sacramenti Tabernacu-
lum est, exspuamus, vel dorso obverso con-
sisteamus, vehementer suadet Magnus Spiri-
tûs Magister Nicolaus Lancitius in quodam
suo Diario, non solum quia actus est eximie
Religionis, & in Deum observantiæ, sed etiam
quia magnis ab eo gratiis, & singularibus do-
nis pensari solere certissimis experienciis libè
compertum asserit.

Denique totius Corporis & singulorum
membrorum eximiam debere esse hominis
oraturi, & Templum ingressuri compositio-
nem, docet S. Chrysost: qui cum homiliâ in
laudem eorum, qui comparuerunt in Eccle-
siâ, compositâ, eos idcirco commendâssent,
acriter tamen reprehendit, quòd indecenter
manu jactarent, pedibus plauderent, & sub-
sultarent & corpore huc illuc circumagerentur.
Qualis porro manuum situs constituti in Tem-
plo esse debeat, ostendit David Ps. 133. In
quo omnes servos Dei ad laudandum Deum
provocans, ecce nunc benedicite Dominum
exclamat, omnes servi Domini, qui statim in
dome

domo Domini, in Atriis Domus Dei nostri. Ex-
 tollite manus vestras in Sancta, & benedicite
 Dominum. Decenter nimirum invicem com-
 positas, sive complicatas, & modestè in al-
 tum ante pectus elevatas, Sancta versùs pro-
 tendi suadet: quem situm & gestum ità ora-
 tioni congruere asseverat, ut eum Sacrificio
 non dubitet æquiparare, qui orationi con-
 junctus, faciat eam sicut odoriferum incen-
 sum in conspectu Dei ascendere Ps. 140. Di-
 rigatur Oratio mea, precatus, sicut incensum
 in conspectu tuo, elevatio manuum mearum
 Sacrificium Vespertinum. Ad quæ Verba S.
 Chrysost. post expositam Sacrificii Vesperti-
 ni notionem, & distinctionem à matutino,
 hæc subdit, quæ effectum fervoris occupan-
 tis animum, & orationem ejus in gratissi-
 mum suffitum solventis ostendunt. Quem-
 admodum suffitum tunc maximè bonum odorem
 emittit quando igni accesserit, ità etiam Ora-
 tio est fragrantior, quando offertur cum ar-
 denti & flagranti animo, quando anima effici-
 tur Thuribulum, & ignem vehementem ac-
 cendit. Neq; enim imponitur incensum aut
 suffitum, nisi sit prius accensa cratibula, aut ni-
 si ardeant Carbones. Hoc ipsum factu quoq;
 in mente tua, accende prius ipsam promptitudi-
 ne & animi alacritate, & tunc impone ora-
 tionem. Quomodo autem hoc fiet? si utraq;
 sint

sine macula, si utraq; nulli sine reprehensione
vitio vel obnoxia, & lingua & manus. Ecce
quomodo oris, tempore precationis mundi-
tiam, & manuum puritatem, quam in Ele-
vatione ad Sancta constituerat Psalmista, isti-
us specialis ignis & ardoris veluti materiam
& alimentum S. Doctor censuit. Quid sibi
vult manuum in oratione Elevatio? quaerit ite-
rum S. Chrysost: hom. de fragrantia oratio-
nis, & respondet: Quonia enim multis sceleri-
bus, inferunt, cadibus, rapina, avaritia, propter
hoc ipsum ergo jubemur eas tendere, ut ora-
tionis Ministerium, sit eis vita & vinculum, &
ab improbitate liberatio. Et si quando es ra-
pturus, vel in bona aliorum invasurus, in me-
moriā revocans fore, ut eas ad Deum mittas
te defensuras, & illud spectale Sacrificium Deo
facturas; ne eas ignominia & pudore afficias,
& male operationis ministerio eis fiduciam au-
feras. Si enim non permittis ut extollantur
illota ad orationem, multo magis iniquum est,
ut eas peccatis inquines. Et hunc fuisse or-
dinarium manuum suarum in oratione situm,
idem Propheta declaravit Ps. 62. Sic benedi-
cam te, inquit, in vita mea, & in nomine tuo
levabo manus meas. Et iterum Ps. 27. dum o-
ro ad te, dum extollo manus meas ad Templum
Sanctum tuum. Neque ad orationem talem
unquam spe sua fuisse frustratum fatetur Ps.

76. Voce meâ ad Dominum clamavi, & in die tribulationis meâ Dominum exquisivi manibus meis contra eum, & non sum deceptus. Unde opportunè monet S. August. in Ps. 62. *Levemus & nos manus nostras in prece ad Deum, & non confundentur manus nostra levate ad Deum, si exerceantur bonis operibus: unde preceptum est, ut levatis manibus oremus ad Deum, Apostolus enim dicit levantes puras manus, sine ira & disceptatione. Quia ergo manus ista levantur, ut impetres quod vis, ipsas manus cogitans in bonis operibus exerce, ne erubescant elevari ad Deum.*

Quaquam elevatio hæc non uno modò à Viris sanctis usurpari solita est, hodièque à fidelibus usurpatur; modò enim manibus in in crucem ante pectus decussatis, modò palmis invicem complicatis, vel etiam digitis insuper innodatis; modò etiam brachiis (si soli in secreto versentur) in altum levatis, aut in latum distentis, precari amant. Qui omnes situs in Sacra Scriptura fundati, laudabiliter & sanctè pro cujusque devotione adhiberi possunt & debent. *Expandi manus meas ad te, clamat David Ps. 42. Velociter exaudi me Domine. Imò & Moyses cum levaret manus vincebat Israel, sin autem paululum remisisset, superabat Amalec Exodi 17. hinc de sæculi sui fidelibus Tertull. lib. de Orat.*

cap.

cap. 11. Nos non attolimus, inquit tantum, sed
etiam expandimus manus: Et Dominicâ pas-
sione modulantes Et orantes Christum confite-
mur. Et verò cum oratio nihil aliud sit, quàm
supplex hominis Mendici ad fores cœlestis
Patrisfamilias clamor & precatio, qualiter a-
mabò misericordiam obtinere merebitur, qui
orat indevotus, & sinè omni reverentia ac
humilitate incompotus? Omnes quando o-
ramus, loquitur S. Aug. serm. 15. de verbis
Domini: Mendici Dei sumus; ante januam
magni Patrisfamilias stamus, imò Et proster-
nimur, supplices ingemiscimus, aliquid volen-
tes accipere. Et serm. 41. in fine, quantumvis
habeas, quicumq; dives es, Dei mendicus es.
Venitur ad horam orationis, Et ibi te probo.
petis? Et quomodo non pauper es qui petis?
plus addo, panem petis, an non es dictu-
rus: panem nostrum quotidianum da nobis
hodie? qui panem quotidianum petis, pau-
per es, an dives? Hæc ergo cum sit conditio
orationis, quis non confestim agnoscat, quàm
sit ridiculum & indignum, inque Dei qui ro-
gatur derisum cedens, eleemosynam capta-
re, & interim nulla supplicis & mendicantis
indicia, sed habitum superbi, contemnen-
tis, ac velut aliud agentis præferre? Non ita
rogabat qui de se agebat: Ego autem mendi-
cus sum Et pauper Ps. 39. sed incurvabat se in
ora-

oratione David, loquitur S. Ambr. in Ps. 37. Cervicem sicut circulum flectens, & humiliabat in precibus. Oratio enim se humilianti nubes penetrat, & Elementorum alta transcendit, ut Christo appropinquet. Et rugiebat à gemitu cordis sui. Hic est gemitus quem non despicit Dominus, qui non despicit servum juniorem orbatum Patre, nec viduam, si effundat loquelam gemitu. Quid? quòd non mendici solùm coram divite, sed & multorum scelerum rei personam oraturus geris? Et servus nequam, meritum à capite tuo supplicium apud severum judicem deprecaris, dimitte, rogans, debita nostra? Quantà ergo putas opus habes demissione, reverentià, ut criminum veniam, quorum de convictum ultrò fateris, gratuito obtineas? nullum autem demissioni aptiorem in Reo habitum esse, quàm humilem manuum complicatarum colligationem, agnoscit Nicolaus Papa ad Consulta Bulgarorum cap. 54. ità respondens: Quia quorundam in Evangelio reproborum ligari manus & pedes precipiuntur, quid aliud isti agunt, qui manus suas coram Domino complicando ligant, nisi Deo quodammodo dicunt: Domine nè manus meas ligari precipias, ut mittas in tenebras exteriores, quoniam jam ego eas ligavi, & ecce ad flagella paratus sum. Hinc etiam pectus percucimus, signantes videlicet

licet, quod nequiter egimus, displicere nobis; ac ideo antequam Deus feriat id nos in nobis ipsi ferire. Atque huc etiam respexisse videtur Tertull. in Apolog: ipse habitus, inquit, orantis Christiani, paratus est ad omne supplicium.

Porrò omnino conjungendam esse orationi hanc purarum manuum dum precamur, ex voluntate Apostoli, sublationem, eruit S. Alcimus Avitus hom. de Rogat: ex illis Christi verbis, quibus petere simul & pulsare jubemur Luc. 11. si exaudiri volumus. Nam peritio quidem disertè exprimit orationem, pulsatio verò manuum est functio; itaque pulsandum est ei, qui bene & fructuosè vult petere, id est innocuæ manus debito gestu precationi sunt accommodandæ. Atque hæc exterioris hominis compositio, non eò duntaxat adhiberi tum à PP. tum à Scriptura jubetur, ut totus homo omnibus suis potentiis & membris in Deo occupetur, & in perfectum holocaustum offeratur; sed etiam quia incompositis sensibus & membris exterioribus, hoc ipso mens dissipatur, & in alia ab oratione affunditur, sitque ita oratio inanis & vacua, de qua est illud S. Cypriani in Orat. Dom. *Quomodo te audiri à Deo postulas, cum te ipsum non audias? Pinguem & adipalem orationem nostram, ut loquitur S. Ambr. lib.*

2. de Cain cap. 6. esse oportet, hoc est, quæ ex anima spiritualis adipis & pinguedinis refertissima prodeat, quæ aliter vocatur in Scriptura Oratio cum Cantico ut observat S. Gregorius Nisse, Tract. 2. in Psal. cap. 3. sic orabat David; quod S. Augustinus in Psalmum 130. ad illud, Vocem deprecationis meæ egregie expressit in hæc verba: Delectat forte cogitare, quare non dixerit, percipe auribus deprecationem, sed velut evidentiùs exprimens affectum animi sui ait, Vocem deprecationis meæ, non quod sonat in verbis meis sed unde videntur verba mea. Cæteri enim streptus sine anima, soni dici possunt, voces non possunt. Vox proprie animatorum est, visorum est. Quàm multi autem deprecantur Deum, & non sentiunt Deum, nec benè cogitant de Deo! sonum deprecationis habere possunt, Vocem non possunt, quia Vita ibi non est. Huius qui vivebat, quia Deum suum intelligebat, & à quo liberaretur videbat, & à quibus liberaretur sentiebat, ipsa erat vox deprecationis ejus. Benè proinde monet sæpè memoratus S. Chrysost. hom. de verbis Isaïæ Vidi Dominum: indecoras voces premamus, manuum gesticulationes corripiamus, has conjunctas exhibentes Deo, nec in compositis moribus attolantur. Odit enim hoc Deus & aversatur, sicut contrà compositum, ac modestum amat experiri. Ad quem, inquit,

quit, respiciam, nisi ad mansuetum & quietum?

Hæc omnia cùm recogitanda essent ingredientibus Domum Dei, plerique tamen hæc nihili pendunt. Et miramur deinde nos plerumque à Deo non audiri precantes, cùm potius mirum sit nos à Deo non plecti tam absurdè orantes. Scitè Eucherius, ostensurus quomodo neque solus exterior, neque solus interior, sed uterque homo orationi intendere debeat, homi. in illud: *Ubi sunt duo congregati in nomine meo*, ait, ego puto quòd de uno possit dici, quia in Domum Dei debeat congregari, id est, ut ad orandum Deum non solum exteriore, sed etiam interiore, sensibus & desideriis, fide & operibus totus introeat: Nam si intra Ecclesiam solo corpore quispiam illic teneatur, & toto extra Ecclesiam corde versetur, exterior ab Spiritu suo divisus, ac separatus ingreditur, & quod est in homine pretiosius, hoc à Divinis obsequiis peregrinatur, dum solum in præsentia terra tenetur, anima verò per passiva ludibria, in multiplices discursus captiva distrahitur. Et ideo quando quisq; nostrum ante judicem suum æternam causam commendaturus afficit, non aliud intus appareat, & aliud foris erret. Nihil ab homine de parte hominis absente. Nam qui dixit: *Ubi sunt duo aut tres congregati* &c. quomodo probabi-

*habetur congregatus si à semetipso cogitationum
 evagatione dispersus est? Aut quomodo erit
 Deus in medio tui, si tecum ipse non fueris? Si
 deest ille qui poscit, quomodo aderit ille qui po-
 scitur? quomodo suscitabitur Iudex, si dormi-
 taverit Advocatus? Opus est itaque ut quod
 postulat Vocis sonitu, obtineat sedulitatis affe-
 ctus. Revoca intro sollicitam mentem! de
 Templo Dei absentare non expedit Sacerdo-
 tem.*

CAPUT XII.

*Supplicationum & Processionum profa-
 natores, Supplicio digni.*

QUOD olim de Gentilium Supplicationi-
 bus, profanitatem & impietatem illis
 exprobrans, nervosè pronunciavit Tertull.
 lib. de cultu fœmin. cap. 11. nescio an minùs
 verè conveniat multis hodie Processiones sa-
 cras comitantibus, non tam ut Deo suppli-
 ces fiant, quàm ut ad nova irroganda suppli-
 cia, impiâ illum provocent petulantia. Pro-
 pter ipsum conventum, ac mutuum Videre ac
 Videri, omnes pompa in publicum proferuntur,
 aut ut luxuria negotietur, aut gloria insole-
 scat. Quid enim? nunquid aliâ causâ ad co-
 mitandam supplicationem, quàm propter
 ipsum conventum & mutuum Videre ac Videri,
 di-